

# EPISTULA LEONINA

C

**HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETTIALI  
CUI NOMEN EST  
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-XCVI INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM (100) !**

## ARGUMENTA

1. Centurio qualis miles fuerit
2. De numero centenario
3. Conspectus primae centuriae Epistularum Leoninarum
4. Echûs voces.

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**



***Cara Lectrix, Care Lector,***

*maximē gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam  
**CENTESIMAM.** EN HABEMUS **CENTURIAM**, habemus  
**hecatomben!** Leo Latinus est **CENTURIO** – qui habet centuriam  
 Epistularum. Itaque hac in Epistulâ tibi praebeo Conspectum primae  
 Centuria Epistularum Leoninarum, cui insunt argumenta Epistularum  
 praecipua. Rogo te, cara Lectrix, care Lector, ut fidem mihi praestes:  
 adiuba me, quaeso, epistulis symbolis scribendis necnon libris  
 discisque emendis. Dies diem docet. Spero has Epistulas Leoninas  
 factum iri omni septimanâ meliores.*

**Tu autem pancraticē vale et perge mihi favere!  
 Medullitus Te salutat  
 Nicolaus Groß**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**  
 Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. Saturni,  
**die 9. m. Apr., a.2016**



**QUID, QUOD INSERTA CASTRIS SUMMAM RERUM IMPERIUMQUE  
CONTINET CENTURIONUM IN MANU VITIS... ?**

cfr PLINIUS, Naturalis Historia 14,19 (ed. Mayhoff, 1906) Quid, quod inserta castris summam rerum imperiumque continet centurionum in manu vitis et opimo praemio tardos ordines ad elatas perducit aquilas atque etiam in delictis poenam ipsam honorat?

## CENTURIO QUALIS MILES FUERIT




Imago centurionis, quae inest ornamento sepulchri Flaviâ Solvâ in municipio sito, saec. secundo p.Chr.n. exstructi. Quod ornamentum nunc invenitur Graecio in urbe Austriae, in Museo Ioanneo.

**Centurio**, qui in testimoniis palaeograecê scriptis appellatur ἑκατόνταρχος, erat ductor ordinis militum Imperii Romani, qui imperabat centuriae legionis romanae aut copiarum auxiliarium. Centurionum autem erant varii gradûs multiplices. Derivatur quidem hoc nomen a numero centenario, tamen centuria iam aetate rei publicae liberae ineunte centuria solebat constare ex legionariis octoginta tantum.

### Origo

Aliter ac praefecti militum, qui ut essent ordinis equitum aut senatorum praescriptum erat, centuriones semper transducti erant ex ordine humili; itaque de iure omnis civis poterat fieri centurio. Primo centurio eligebatur a militibus suis, postea a legato, id est a duce legionis. Aetate caesareâ necesse erat designationem centurionis ab imperatore affirmari. Ordo centurionum, cum esset exercitûs romani munimentum firmissimum, maximê valebat ad milites coercendos et ordinandos. Multa referuntur de centurionum animo praeduro, sed etiam fortissimo. Aliter ac milites gregarii et optiones multi centuriones stipendio finito non dimittebantur, sed in exercitu manebant usque ad mortem.



**Ecce cenotaphium Marci Caelii centurionis legionis XVIII, qui a. nono p.Chr.n. interfectus est proelio in Saltu Teutoburgensi facto. Nota bene vitem insignem, qua significatur potestas imperandi et castigandi.**

### **Munus centurionis quale fuerit.**

Centurio, ut erat legionariis praepositus, debebat prospicere iisdem armandis et erudiendis et exercendis. Centurioni ius erat milites suos honestandi et puniendi; ad poenas expetendas saepe adhibebat **vitem** signum ordinis sui, quod secum gerebat.

**Tacitus** in primo libro Annalium memorat quandam centurionem plagosum nomine Lucilium, cui a militibus inditum erat supernomen, quod erat ‘*Cedo alteram*’ (TAC. Ann.1,23,3):

*...et centurio Lucilius interficitur, cui militaribus facetiis vocabulum ‘*Cedo alteram*’ indiderant quia fracta vite in tergo militis alteram clara voce ac rursus aliam poscebatur.*

**Plinius** autem **maior** in Historiâ suâ naturali (PLIN.nat.14,19) ibi, ubi tractat vitem, verbis effert, quantum eadem valeat ad potestatem et dignitatem centurionum significandam:

*Quid, quod inserta castris summam rerum imperiumque continet centurionum in manu vitis et opimo praemio tardos ordines ad elatas<sup>\*</sup> perducit aquilas atque etiam in delictis poenam ipsam honorat<sup>\*\*</sup>?*

---

\* Aquila hōc loco videtur esse locus sive dignitas primipili, cui mandabatur, ut servaret aquilam legionis. Vitis secundum Plinium est signum militis ex humili ordine ad ordinem centurionis promotum, qui accipit “opimum

Praeterea centuriones a militibus gregariis differunt veste militari et armis, praesertim *cristâ transversâ* et *ocreis*, i.e. crurum tegminibus, et *gladio*, quem gerit sinistrâ in parte. Centurio pro loco, quem tenebat, accipiebat mercedem maiorem; secundo saeculo p.Chr.n. vices tantum, quantum dabatur legionario<sup>1</sup>.

Centurioni licet habere conclave proprium, tabernaculum, equum ad equitandum, bestiam ad gestandum. In monumentis sepulchralibus saepius imagine illustrantur centurionis mortui arma et ornamenta.

Centurio adiuvabatur ab *optione*, qui vices eius gerere solebat, aliisque principalibus, velut a *signifero* et *tesserario*.


### **subdivisio**

Nomen centurionis non semper valebat eundem ordinem idemque munus militare. Licet omnes centuriones (paucis exceptis) praefuerint certae centuriae, sed ordo ideoque potestas centurionis pendebat ex ordine, quem illa centuria tenebat intra legionem. Hic autem ordo appellabatur nominibus additiciis, ita ut primo distinguerentur inter se centuriones variorum manipolorum, qui sunt (ordine augescente) **hastati** et **principes** et **triarii** (quorum postremi saepe nuncupabantur **pili**). Intra manipulum dux primae centuriae (**prior**) praeerat secundo (**posteriori**).

praemium”, i.e. multo maiorem mercedem quam miles gregarius. cfr The Natural History. Pliny the Elder. John Bostock, M.D., F.R.S. H.T. Riley, Esq., B.A. London. Taylor and Francis, Red Lion Court, Fleet Street. 1855, n.25: “The reading “**elatas**,” has been adopted. If “**lentas**” is retained, it may mean, “promotion, slow though it be,” for the word “*aquila*” was often used to denote the rank of the “*primipilus*,” who had the charge of the eagle of the legion”. Bostock et Riley textum reddunt his verbis: “that this is the high reward which summons the lagging ranks to the eagles **raised aloft**”. Minus recte König et Winkler (ed. Artemis 1981) lectionem “*lentas*” praferentes locum his verbis theodiscis reddunt: “und führt sie nicht mit reichlichem Lohne die tragen Reihen zu den zögernden Adlern?”“

\*\* Cives Romani caedebantur vitibus, alii milites virgis. Itaque vitis a Plinio dicitur ipsam poenam honorare. cfr Bostock/ Riley loc.cit., n.26: “Because it was the privilege solely of those soldiers who were Roman citizens to be beaten with the vine sapling.” cfr versio Bostock/Riley: “and that even in chastisement for faults it tends to reflect honour upon the punishment?”“ et König/Winkler: “und ehrt selbst die Strafe auch bei Verbrechen?”

<sup>1</sup> cfr Francois Jacques, John Scheid: *Rom und das Reich. Staatsrecht, Religion, Heerwesen, Verwaltung, Gesellschaft, Wirtschaft*. Nikol, Hamburg 2008, S. 165.



Ecce lapis sepulchralis Titi Calidii Severi. Conspicuae sunt ocreae et galea cristâ transversâ insignis. Describitur cursus honorum:

„T(itus) Calidius / P(ublii filius) Cam(ilia) Sever(us) / eq(ues) item optio / decur(io) coh(ortis) I Alpin(orum) / item leg(ionis) XV Apoll(inaris) / annor(um) LVIII stip(endiorum) XXXIII / h(ic) s(itus) e(st) / Q(uintus) Calidius fratri / posuit“ CIL 03, 11213

Titus Calidius Severus fuit Romanus, vixit saeculo primo p.Chr.n., mortuus est Carnunti. Qui nōtus non est nisi hōc lapide sepulchrali, qui inventus est m.Apr. a.1880, et a civibus vici Petronell donatus Museo historiae artium Vindobonensi (numerus inventarii III 365).

Ergo valebat ordo descendens, qui sequitur:

- ***primus pilus***: centurio primae centuriae, primae cohortis
- ***pilus prior***: centurio primae centuriae, cohortis ex iis, quae sunt a secundā ad decimam
- ***princeps prior***: centurio secundae centuriae, cohortis ex iis, quae sunt a primā ad decimam

- **hastatus prior**: centurio tertiae centuriae, cohortis ex iis, quae sunt a primâ ad decimam
- **pilus posterior**: centurio quartae centuriae, cohortis ex iis, quae sunt a secundâ ad decimam
- **princeps posterior**: centurio quartae centuriae, cohortis primae et quintae centuriae, cohortis ex iis, quae sunt a secundâ ad decimam.
- **hastatus posterior**: centurio quintae centuriae, primae cohortis et sextae centuriae, cohortis ex iis, quae sunt a secundâ ad decimam<sup>2</sup>

Centurio prior posteriori eiusdem manipuli praepositus erat. Nisi tribunus aderat, *pilus prior* ducebat totam cohortem. Omnibus ceteris praepositi erant centuriones primae cohortis, in qua **signum** ferebatur. Idem erant centuriones

- **primi ordinis**, i.e. primus prior hastatus eqs.

Insigni potestate erat **primus pilus**. Qui ducebat centuriam primam, quae per aliquantum temporis altero tanto plures milites habuit quam ceterae centuriae necnon secum ferebat **aquilam legionis**. In legione primus pilus nemini subditus erat nisi legato et sex tribunis et praefecto castrorum. Ab hoc gradu militari tres derivati sunt alii:

- **primus pilus**: centurio legionis supremus, cuius est aquilam legionis protegere legatoque prospicere
- **primus pilus bis**: centurio, qui exceptione per alterum spatum munus gerit primi pili
- **primipilaris**: qui quondam fuit primus pilus

Caesaribus primipilares eo erant utiles, quod erant duces apti, sed non insidiis Romae aulicis implicati. Extra cohortes centuriones muneribus fungi poterant his quae sequuntur:

- **princeps praetorii**: centurio, qui attributus est praetorio, i.e. legatis tribunisque
- **centurio supernumerarius**: centurio, cui mandata sunt munera specialia; cui non est cohors propria.

Tantâ subdivisione efficitur, ut difficile sit centurionem comparare cum gradibus militum modernis. Eo quod est dux numeri peditum, qui est inter octoginta et centum, **centurio** simillimus est gradui militari, qui theodiscē dicitur *Hauptmann*, anglicē *captain*. Primus pilus forsitan comparetur cum

---

<sup>2</sup> [Yann Le Bohec](#): *Die römische Armee. Von Augustus zu Konstantin d. Gr.* Steiner, Stuttgart 1993, p. 46.

gradu militari, qui theodiscê appellatur *Oberst*, anglicê *colonel*. Primus pilus in societate Romanorum magnâ erat auctoritate.

**SYMBOLAM WIKIPEDIANAM  
QUA AGITUR DE CENTURIONE  
IN LATINUM CONVERTIT  
NOTULIS TESTIMONIISQUE  
INSTRUxit**

**Nicolaus Groß**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

## DE NUMERO CENTENARIO

Centum sive numerus centenarius (100) est numerus naturalis numeris interpositus, qui sunt undecentum et centum unum. Centum est numerus par et quadraticus.

### Quaedam linguistica

Verba centenaria linguarum indogermanicarum, quibus Latina quoque interest, ducuntur e radice *\*-k'm.tom*, quam verisimile est exortam esse e verbo indogermanico denario *\*dekm.[t]* et originaliter significasse *decies dena*.

Verbum numerale theodiscum, quod est *Hundert* sive *hundert* hodie, sicut omnia numeralia, pro contextu scribitur aut maiusculâ aut minusculâ litterâ initiali. Terminatio verbi numeralis theodisci, quod est *hund-ert*, derivata est e verbo palaeogermanico, quod est *raba*, et valet numerum (cfr numerale anglicum, q.e. *hund-red*). Numerale theodiscum habet quidem formam pluralem, quae est *hunderte*, sed si componitur cum aliis numeralibus, non est declinabile (*einhundert*, *zweihundert* eqs.).

Radix indogermanica *\*-k'm.tom* inest etiam graeco verbo numerali, quod est ἑκατόν et latino, quod est *centum* (e quo signum C est derivatum). Quae numeralia formis praefixis, quae sunt *hekto-* (centies) et *zent-* (pars centesima) in sermonem theodiscum sunt introducta. E latino quoque sermone derivatum est nomen nummi, quod est *Cent*, quo non sôlum in theodisco sermone appellatur centesima pars euronis. Etiam mensura ponderis theodisca, quae est *Zentner* et complectitur centum libras, dicitur e radice latinâ.

### 100 quid valeat ad mathesin

Numerus centenarius multum valet ad systema decimale, quia est potentia secunda numeri denarii ideoque numerus qui dicitur rotundus. Prius (hodie certê raro tantum) in ludo litterario a discipulis ediscebatur tabula Pythagorica, id est series multiplicationum quae sunt a *semel singulum est unum* ( $1 \times 1$ ) usque ad *decies dena sunt centum* ( $10 \times 10 = 100$ ).

Praeterea numerus centenarius est summa novem priorum numerorum primorum et summa quattuor priorum numerorum cubicorum ( $1^3 + 2^3 + 3^3 + 4^3 = 100$ ) et est *numerus Harshadianus* sive *Nivenianus*, id est numerus, qui dividi potest per summam suarum cifrarum.

Numerus centenarius praecipue adhibetur ad relationes magnitudinum exprimendas; plerumque partes centesimae indicantur (in sermone latino utendum est numeris distributivis: binae, trinae, quaternae eqs. centesimae partes, i.e. 2%, 3%, 4% eqs.

## 100 quid valeat ad scientias naturales

- *Anders Celsius* Uppsalensis mathematicus, physicus, astronomus (1701-1744) in scalâ suâ temperaturae definit aquam habere punctum fusionis zero gradum et punctum ebullitionis centum gradum.
- In systemate elementorum periodico chemiae numerus centenarius est elementi fermii numerus ordinalis.
- *Centipedes* in zoologiâ complectuntur subclassem *Chilopodum*. Centipedes numeros habent pedum, qui sunt a quindecim usque ad centum nonaginta unum paria pedum.

## 100 quid valeat ad historiam societatemque

Nomen centenarium cum spectet ad numerum „rotundum“, sed spatio humanae vitae superiorem, ab hominibus saepe adhibetur ad spatium temporis perquam longum aut copiam perquam magnam appellandam, e.g. antequam xerocopia est inventa, solita methodus paginas multiplicandi dicebatur *hectographia* (i.e. “centuplicatio”).

Grex militum aut astyphylacum, quae complectitur aut centum aut fere centum participum, theodisce dicitur *Hundertschaft* (Latine centuria).

Bellum, quod Angli et Francogalli inter se gesserunt spatio annorum, quod est inter 1337 et 1453, dicitur *bellum centennale*.

*Calendarium centennale* fuit illustris collectio praedictionum tempestatis saeculo decimo septimo a Mauricio Knauer conscripta. Der

*Impetus centum regimentorum sive proelium centum regimentorum* fuit magna expeditio, quam exercitus Sinensium russatus a. 1940 fecit in exercitum laponum caesareum.

*Motus centum florum* fuit eventus brevi ante revolutionem cultualem sinensem factus.

*Centum flores* est nomen periodici politici alternativi (a. 1972)

## **100 quid valeat ad litteras artificiosas**

*Centum anni solitudinis* (*Cien años de soledad*) est titulus fabulae romanicae, qua scriptâ Gabriel García Márquez a.1982 accepit praemium litteraturae Nobelianum.

## **100 quid valeat ad mythologiam et religionem**

In mythis Graecorum sunt tria monstra centenis bracchiis instructa, quae appellantur ἔκατόγχειρες necnon Argos, gigas, qui centum oculis praeditus erat, unde homines aliquid attentissime custodientes dicuntur oculis esse Argeis.

ἔκατόμβη a Graecis appellabatur immolatio centum boum, postea hoc verbum generaliter ad immolations maiores denominandas, in urbe Athenarum ipse mensis quidam secundum tales immolations nuncupatus est (οἱ ἔκατομβαιῶν, ἔκατομβαιῶνος, qui fuit anni attici mensis primus et complexus est dies, qui sunt a d.25.o m.lun. usque ad 24.um m.lul.).

**SYMBOLAM WIKIPEDIANAM**

**QUA AGITUR DE NUMERO CENTENARIO**

**IN LATINUM CONVERTIT**

**NOTULIS TESTIMONIISQUE**

**INSTRUxit**

**Nicolaus Groß**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

## CONSPECTUS PRIMAE CENTURIAE EPISTULARUM LEONINARUM

Nr.	Dies êdendi	Imago initialis	Sententiola initialis	Numerus paginarum	ARGUMENTA
001	20.05.2009	---	---	(18)	Haliotides 2-11. Senex et salum (II) 12-18.
002	20.05.2009	---	---	(13)	Nessologia. Somni soror (I).
003	20.05.2009	---	---	(13)	Leontologia. Recitator (X).
004	20.05.2009	---	---	(19)	Herostratus. Herostratus Coreanus.
005	20.05.2009	---	---	(67)	QUIDNAM SIT ARS ET QUID EI LICEAT? Vitulus aureus -Venus politicorum gregalis -.Suicida plastinatus. - Rana blasphemica. - Dominula Kitty XVI. - Canticum antipapale. - Mahumetus caninus. - Nolite vos excusare ! - Recitator (XI) - Vocabula zoologica (I)
006	21.05.2009	---	---	(23)	Memento mori – Senex et salum (III) – Recitator (XII)
007	21.05.2009	---	---	(26)	Crabatus (I) – Recitator (XIII) – Vocabula zoologica (II)
008	21.05.2009	---	---	(35)	Aspalacologia sive Historia talparum. – Recitator (XIV) – Vocabula zoologica (III)
009	21.05.2009	---	---	(13)	Crabatus (II) – Recitator (XV) – Vocabula zoologica (IV)
010	21.05.2009	---	---	(22)	Crabatus (III) – Recitator (XVI) – Vocabula zoologica (V)
011	21.05.2009	---	---	(32)	Nuntii scholares: Vae magistris ! – Phryne quis fuerit – Crabatus (IV) – Vocabula zoologica (VI)
012	21.05.2009	---	---	(23)	Prometheus – Max et Moritz – Crabatus (V) – Recitator (XVII) – Vocabula zoologica (VII)
013	21.05.2009	---	---	(22)	Mythi Graecorum (II): De hominum aetatibus – Max et Moritz (II) – Crabatus (VI)
014	21.05.2009	---	---	(34)	Tandem aliquando Fragrantia Leonina ! – Theodori Storm “Eques leucippus”(I) – Mythi Graecorum (III): Deucalion et Pyrrha – Crabatus (VI) - Salamandrologia
015	21.05.2009	---	---	(11)	Viro natalicio negato magistram esse dimissam! – Mythi Graecorum (IV): De Ione – Recitator (XVIII) – Fragrantia denuo edita.
016	21.05.2009	---	---	(25)	Mythi Graecorum (V): Phaeton – Crabatus (VII) – Vocabula zoologica (VIII) – Fragrantia denuo edita – Vota natalicia
017	21.05.2009	---	---	(15)	Carolus May – Vinnetuus Latinus – Max et Moritz (III)
018	21.05.2009	---	---	(15)	Nuntii: Obama – Köhler – Huber – Mythi Graecorum (VI): Europa – Vota in annum MMIX oblata.
019	21.05.2009	---	---	(18)	Helmodus Schmidt: Salutem publicam legem esse supremam – Mythi Graecorum (VII): Cadmus – De carmine Aetnae (VII) – Nicolai Gross Glossarium Fragrantiae.

## CONSPECTUS PRIMAE CENTURIAE EPISTULARUM LEONINARUM

<b>020</b>	21.05.2009	---	---	(28)	Arthurus togatus: Verba Schopenhaueri Latine redditia – Mythi Graecorum (VIII): Pentheus – De carmine Aetnae (VIII) – Fabellae Grimmiana Latine redditiae.
<b>021</b>	21.05.2009	---	---	(20)	Mythi Graecorum (IX): Perseus – Recitator (XIX) – Vocabula anatomica (I) – Fragrantia – Glossarium Fragrantiae
<b>022</b>	21.05.2009	---	---	(20)	Mythi Graecorum (X): Ion – Max et Moritz Latine et Graece (IV) – Crabatus (VIII).
<b>023</b>	21.05.2009	---	---	(17)	Mythi Graecorum (XI): Daedalus – Empedocles philosophus (I) – Recitator (XX): Versio Latina (I,3) – Cinema. – “Ulmenses sunt mathematici” – verumne? – Admirabilis actio gymnasii HGU theatrica.
<b>024</b>	21.05.2009	---	---	(28)	Lagologia sive Historia leporum (I) – Max et Moritz (V): Magister Lämpel – Vocabula anatomica (II) – Vota paschalia.
<b>025</b>	29.05.2009	---	---	(41)	Mythi Graecorum (XII): Iason et Pelias – Lagologia (II) : Lepus quomodo illustretur in arte figurativa – Crabatus (VIII) – Recitator (XXI) – Vocabula anatomica (III)
<b>026</b>	22.06.2009	---	---	(60)	Melolonthologia sive Historia scarabaeorum maialium – Max et Moritz (VI): Avunculus Fridericus – Franz Kafka: “Die Verwandlung” (Metamorphosis) – Canticum puerile: “Maikäfer flieg” – Reinhard Mey: “Es gibt keine Maikäfer mehr” – Mythi Graecorum (XIII): Argonautae in insula Lemno versantes – Crabatus (IX) – Recitator (XXII) – Vocabula anatomica (IV)
<b>027</b>	11.09.2009	---	---	(73)	Cricetologia (I) – Mythi Graecorum (XIV): Argonautae in terra Dolionum versantes – Socrates quomodo mortuus sit (Plato, Phaedo 115 a-118 a) – Goethe: Novella (I) – Max et Moritz (VII) – Kafka, Metamorphosis (II) – Crabatus (XI) – Recitator (XXIII) – Vocabula anatomica (V).
<b>028</b>	03.01.2010	---	---	(04)	Oratio Horstii Köhler praesidis foederalis in Natale Domini habita.
<b>029</b>	07.01.2010	---	---	(61)	De versione operum Immanuelis Kant Latina – Mythi Graecorum (XV): Hercules relictus. – Vocabula coquinaria (I).
<b>030</b>	06.04.2010	Thomas a Kempis	In omnibus requiem quaesivi, et nusquam inveni nisi in angulo cum libro.	39	Mythi Graecorum (XVI): Pollux et rex Bebrycum 3sq. – Duo viri coryphaei antiquitatis investigandae – Mommsen et Wilamowitz (I) : Mommseni vita et opera 5-17 – Historia Romana Mommseniana in Latinum conversa (I) 18-30 – Vocabula coquinaria (II) 31-38.

## CONSPECTUS PRIMAE CENTURIAE EPISTULARUM LEONINARUM

031	04.05.2010	Paracelsus	Alterius ne sit qui suus esse potest.	49	Mythi Graecorum (XVII) : Phineus et Harpyae 3-5 - Duo viri coryphaei antiquitatis investigandae – Mommsen et Wilamowitz (II): De Udalrico a Wilamowitz-Moellendorff – 6-31 «Qui maxime effecerint quis sum» Udalricus a Wilamowitz-Moellendorff de sui eruditioribus quid scripserit Latine 32-35 – Vocabula coquinaria (III) 36-49.
032	04.05.2010	Linneus	Nomina si pereunt, perit etiam rerum cognitio.	17	Mythi Graecorum (XVIII): Symplegades 3sq. – Fabella Grimmiana: Mensula cibifera (“Tischlein deck dich”) 5-13 – Vocabula coquinaria (IV) 14-17.
033	04.05.2010	Aristoteles	Eruditionis radices sunt amarae, fructus dulces.	33	Mythi Graecorum (XIX) : De morte Aiakis – 4-11 - De Execia pictore vasorum ingeniosissimo 12-16 – Phaedrus quae narret de ovibus 17- 19 - Fabella Grimmiana : De agnello et pisciculo 20sq. - Vocabula domestica (II) 22 –26 - Echus voces et epistulae 27-31 - Parabola ovis repertae 32 - Vota paschalia 33.
034	24.05.2010	Cato maior	Rem tene: Verba sequentur.	39	Mythi Graecorum (XX): Argonautarum pericula alia 3-9 – Fabella Grimmiana: De Pollicino 10-15 – Probatologia sive Historia ovium (I) 16-29 – Vocabula domestica (III) 30-34 – Echus voces et epistulae 35-39.
035	25.05.2010	Erasmus	Dulce bellum inexpertis.	16	Mythi Graecorum (XXI): Iason et Aeetes 4-6 – Fabella Vilelmi Hauff: «Kalif Storch» (I, Latine reddidit Wilhelm Hundsrucker) 7-10 – Vocabula domestica (IV) 11-15
036	01.06.2010	Protagoras	Omnium rerum mensura homo est.	23	Investigatio cellularum primordialium 4-14 – Mythi Graecorum (XXII) : Argos quid suaserit 15-17 – Vocabula domestica (V) 18-23.
037	14.07.2010	Francis Bacon	Et ipsa scientia potestas est.	18	Novus organismus ab homine creatus (Craig Venter) 4-7 – Mythi Graecorum (XXIII): Medea promittit se Argonautis ad futuram esse 8sq. – Vocabula domestica (VI) 10-15 – Epistula Ioannis Caroli Rossi architecti Mediolanensis 15-18.
038	02.08.2010	Thomas Hobbes	Homo homini lupus.	34	«Si non caste, tamen caute» - Silentium pecunia redemptum 5-16 – Sacerdos ungue diaboli correptus 16-18 – Sacerdotem Germanum interfectum esse a puerō meritorio 19 – Hassia: Sacerdotem ab astynomis comprehensum esse 20 – Papam homines abusum passos rogat, ut ignoscant 20-22 – Mythi Graecorum (XXIV): Iason et Medea 23-26 – Vocabula domestica (VII) 27-34.

## CONSPECTUS PRIMAE CENTURIAE EPISTULARUM LEONINARUM

<b>039</b>	03.09.2010	---	---	09	Fabella Vilelmi Hauff «Kalif Storch» (II, Latine reddidit Wilhelm Hundsrucker) 3-6 – Duea rattorum cantilenae Goetheanae in Latinum conversae 7sq.
<b>040</b>	05.09.2010	---	---	11	Fabella Vilelmi Hauff «Kalif Storch» (III, Latine reddidit Wilhelm Hundsrucker) 3-7 – Tractatiuncula de iconoclastis islamicis scripta: „Nolite vos excusare!“ 7-10.
<b>041</b>	12.09.2010	---	---	13	Fabella Vilelmi Hauff «Kalif Storch» (IV, Latine reddidit Wilhelm Hundsrucker) 3-5 – Fabella Grimmiana: De diabolo tribus capillis aureis instructo 5-12
<b>042</b>	12.09.2010	---	---	11	Fabella Grimmiana : De Bremae musicis urbanis 2-5 - Fabella Vilelmi Hauff «Kalif Storch» (V, Latine reddidit Wilhelm Hundsrucker) 6-10.
<b>043</b>	15.11.2010	Hieronymus	Errare humanum est.	22	Vocabula domestica (VIII) 4-11 – Echus voces epistulae: 11-16 - Binae epistulae aculeatae – Leo Latinus acriter vituperatus! 16-21.
<b>044</b>	01.01.2011	Cicero	Sunt enim rebus novis nova ponenda nomina.	39	De Seneca philosopho (I) 5-13 – De urbe Roma (I) 14-26 – Mythi Graecorum (XXV): Iasonem Aeetae voluntati obtemperare 26-30 - Vocabula domestica (VIII) 30-37 – Vota natalicia 38
<b>045</b>	08.01.2011	Ovidius	Iane biceps, anni tacite labentis origo...Fasti I,65-74	53	Oratio, quam in annum ineuntem habuit Angella Merkel cancellaria Germaniae 5-9 – Leon de Winter: Euronem esse abolendum 9-17 – Sententiola Augusti: ΣΠΙΕΥΔΕ ΒΡΑΔΕΩΣ FESTINA LENTE 18 – Erasmus: Festina Lente! Adagium 19-38 – Vocabula domestica (IX) 38-51 – Vota in annum MMXI ineuntem dicenda 52sq.
<b>046</b>	05.02.2011	Livius	Ut plerumque fit – maior pars meliorem vicit (LIV.XXI 4,1)	14	Mythi Graecorum (XXVI): Medea quomodo vellus aureum rapuerit 4-6 - Vocabula domestica (X) 7-13
<b>047</b>	07.05.2011	Carl Friedrich Gauss	Pauca sed matura.	29	De urbe Roma (II) 4-12 – Vocabula domestica (XI) 13-28.
<b>048</b>	01.01.2012	Gottfried Wilhelm Leibniz	Cum Deus calculat et cogitationem exercet, fit mundus.	12	Oratio natalicia Christiani Wulff praesidis Germaniae foederalis 2-5 - Modernum Lexicon manuale theodisco-Latinum 9sq. – Vota natalicia 11.
<b>049</b>	05.01.2012	Bernardus Carnotensis	Sumus quasi nani gigantum umeris insidentes.	26	Oratio, quam in annum ineuntem 2012 habuit Angela Merkel cancellaria Germaniae foederalis 4-7 – Vocabula auturgica (I) 7-23 – Vota in annum MMXII ineuntem oblata 24-26.
<b>050</b>	16.11.2012	Heraclitus	Panta rhei.	24	Recitator – praefatio interpretis 5sq.. Bernhard Schlink 7-10. Recitator 11-18. Vocabula Auturgica (II) 19-23.

## CONSPECTUS PRIMAE CENTURIAE EPISTULARUM LEONINARUM

<b>051</b>	07.01.2013	Emil du Bois-Reymond	Ignoramus et ignorabimus.	45	Verba allocutionis praesidialis 4-6 – Iubilaeum quinquagesimum: In diem natalem optima quaeque, Raptor Hotzenplotzi! 7-15 – De Raptore Hotzenplotzio – Praefatiuncula translatoris 15-17 – Vir septem cultris instructus 18-20 – Crabatus sive molina satanica 1. Praefanda 21-28 – 2. Fabula in Latinum conversa 29-34 – Vocabula auturgica (III) 34-38 – Poeseos latinae certamen II 38-40 – Adeste fideles 41-43 – Vota natalicia 44
<b>052</b>	07.01.2013	Cicero	Quid ergo? Ad Kalendas Ianuarias in Pansa spes? In vino et in somno animi istorum!	34	Praefatio prolixior 2-5 – Merkeliana allocutio in annum ineuntem habita 8-10 – De ebrietatis periculis Plinius maior quid scriperit 10-13 – Pentapoma quid sit 14-17 – Pentapoma regale 17-20 – Myths Graecorum (XXVII): Quomodo Argonautae una cum Medea effugerint 21-24 - Ovidius de morte Absyrti fratris Medeae 25sq. – Vocabula auturgica (IV) 27-31 – Vota in annum MMXIII dicenda 32-34.
<b>053</b>	27.08.2013	Isaac Newton	Amicus Plato, amicus Aristoteles, magis amica veritas.	18	Ferdinand von Schirach 7-9 – Ferdinandus de Schirach de responsabilitate, de casu Fritzlano, deque suo avo interrogatus 10-12 – Schirach non vult iudicare, sed intellegere 13-17.
<b>054</b>	04.09.2013	Apollo	Nosce te ipsum!	14	v. Schirach: De litteratura deque veritate 4-10.
<b>055</b>	10.09.2013	Aeschylus	Sapere aude!	19	v. Schirach: Scelera (“Verbrechen”). Fabulae. Praefatio 5 - De Fähnero 5-15.
<b>056</b>	15.09.2013	Thucydides	Possessio in aeternum.	14	Iudicium de Crabato factum: Institutionem scholarem plus valere quam commotiones animi religiosas 4sq. – Crabatus – Praefanda 6-10 -
<b>057</b>	22.09.2013	Renatus Cartesius	Ego cogito ergo sum.	21	Vita Pii – Pueri cum tigride naufragi 4-11 – Vocabula auturgica (V) 12-17.
<b>058</b>	30.09.2013	Nero	Qualis artifex pereo!	20	De Seneca philosopho (II) 5-16.
<b>059</b>	09.10.2013	Hippocrates	Ars longa, vita brevis.	24	Cinaedi, mulieres, abortio: Papa ecclesiam peragitat 4-8 – Gaudron frater Sancti Pii: «Ecclesia Germaniensis est collapsura» 9-12 – De urbe Roma (III) 13-20.
<b>060</b>	17.10.2013	Socrates	Quae nescio non puto me scire.	26	Petrus Higgs et Franciscus Englert praemio physices Nobeliano honestati 4-9 – Ecce tres investigatores ingeniosi: Südhof Rothman Schekman – praemio medicinae Nobeliano honestati 10-12 – Praemium Nobelianum Thomae Südhoff oblatum: “Scientista optimus omnium, quod novi” 13-22.

## CONSPECTUS PRIMAE CENTURIAE EPISTULARUM LEONINARUM

<b>061</b>	22.10.2013	Bias Prienaeus	Dilige prudentiam!	20	Alicia Munro praemio litteraturae Nobeliano honestata 4-7 – Tres investigatores US-Americani Warshel, Karplus, Levitt praemio chemiae Nobeliano anni 2013 honestati 9-12 – Praemium chemiae Nobelianum: Ecce molecularum cognitorum 13-17.
<b>062</b>	03.11.2013	Diogenes Sinopeus	Nunc quidem paululum a sole.	28	Honestatio Osloensis : Non inveniri candidatum Praemii Pacis Nobeliani perfectum 6-9 – Praemium Pacis Nobelianum anni 2013 attribuitur inspectoribus armorum chemicorum 10-12 – Praemium Pacis Nobelianum ipsi OPCW attributum 13-17 – Praemium oeconomiae Nobelianum attribui tribus investigatoribus US-Americanis 20sq. – Honestamentum: Prophetas bursarios accipere oeconomiae Nobelianum 22-26.
<b>063</b>	03.11.2013	Alcaeus Lesbius	In vino veritas.	22	Fabella Grimmiana: De sponso raptore 4-8 – Vocabula hortulana 9-18.
<b>064</b>	14.11.2013	Iuvenalis	Difficile est saturam non scribere.	16	Fabellae Grimmianae: De pumilionibus 4-7 -
<b>065</b>	18.11.2013	Propertius	In magnis voluisse sat est.	23	Duae fabellae Grimmianae: Dominus Corbesus 4-6 – De Domino Patrino 6sq. – De Seneca philosopho (III) 8-19 -
<b>066</b>	27.11.2013	Brennus	Vae victis !	24	Vae victis ! (Livius – Plautus – Plutarchus) 4sq. – Brennus 6-12 – Myths Graecorum (XXVIII) : Argonautae quomodo domum navigare perrexerint 13-17 – Fabellae Grimmianae : De Domina Truda 18sq. – De Mortifero Patrino 19-22.
<b>067</b>	25.12.2013	Vespasianus	Non olet.	23	Pecunia non olet 4 – Historia oeconomiae: Lavandaria lauta esse sorde 5-9 – Cinema Latinum: De vita in oppido Romano acta 11-19.
<b>068</b>	25.12.2013	Augustinus	Amate scientiam, sed anteponite caritatem.	30	Primum Natale Domini: Papa missam nataliciam dedicat hominibus exclusis 4sq. – Allocutio Gauckiana: “Multis non offertur Natale Domini pacificum” 6-8 – Cantica natalicia Latina: O abies ( <i>O Tannenbaum</i> ) 9 – Adeste fideles! 10 – Iterum quotannis ( <i>Alle Jahre wieder</i> ) 11 – Lente defluit nix ( <i>Leise rieselt der Schnee</i> ) 11 – Sancta nox ( <i>Stille Nacht</i> ) 12 – Fabella Grimmiana: Pollicarius filius vestificis quale iter fecerit 13-18 – Memorialia theologi: Iohannem Künig criticum ecclesiae deliberare de morte auxilio moriendi petenda 19-21 – Colloquium cum Iohanne Künig theologo factum: “Non adhaereo huic vitae” 22-28.

## CONSPECTUS PRIMAE CENTURIAE EPISTULARUM LEONINARUM

<b>069</b>	05.01.2014	Rota Fortunae	Carmina Burana	35	Anni 2013 Eduardi Snowden nuntius natalicius alternativus 4sq. – Allocutio Angelae Merkel cancellariae Germaniae in annum 2014 ineuntem habita 6-8 – Pyrotechnema quid sit 9-22 – Pyrotechnema Fragrantiae 23-28 – Fabella Grimmiana: Avis Fitcheri 29-33.
<b>070</b>	09.03.2014	Archimedes	Da mihi ubi consistam et terram movebo.	18	»Novis rebus nova nomina« 4-6 – Fabula Grimmiana: De arbore iunipero ( <i>Von dem Machandelboom</i> ) 8-16.
<b>071</b>	16.03.2014	Traianus	Et pessimi exempli nec nostri saeculi est.	26	Iohannes Baptista Ferrarius Senensis ( <i>Giovanni Battista Ferrari da Siena</i> ) quid scripsерit de mâlis aureis 4-18 – Myths Graecorum (XXIX): Hercules quomodo mâla Hesperidum rapuerit 20-23 – Corrigendum 25.
<b>072</b>	23.03.2014	Terentius	Homo sum: Nil humani a me alienum puto.	25	Carolus Martius botanicus paeclarus »Pater Palmarum« Latine scribens 4-9 – De Historia Naturali Palmarum 11-16 – Carolus Martius quid scripserit de cultura palmarum ususque 18-25.
<b>073</b>	02.04.2014	Horatius	Ridentem dicere verum	31	Parvus Nicolaus – Narratiunculae quas scripsit René Goscinny, theodisce reddidit Hans-Georg Lenzen, Latine Nicolaus Groß 4 – Parvus Nicolaus (Argumenta) 5-10 - René Goscinny 11-15 – Jean-Jacques Sempé 15-18 – Hans-Georg Lenzen 18-21 – Cinema Parvi Nicolai 22-27 – Corrigenda 30.
<b>074</b>	24.04.2014	Herodotus	Nemo enim tam ineptus est, qui bellum paci praeferat; nam in eâ filii patres sepeliunt, in illo patres filio.	28	Galeologia sive Historia mustelarum (I) 4-14 – Alfred Edmund Brehm “Pater Bestiarum” de mustela quid narret 15-18 – De procreatione mustelarum fabulosa iam ab Aristotele refutata 19-21 – De Galinthiade sive Galanthide 22sq. – Ovidius, Met. IX,273-323: Cur Galanthis in mustelam mutata sit 24-26 – Vota Paschalia 27.
<b>075</b>	25.04.2014	Ferdinandus I Neapolitanus	Mâlo mori quam foedari.	28	Galeologia sive Historia mustelarum (II): Mustela quantum valeat ad fidem populariem et ad artes litterasque
<b>076</b>	27.05.2014	Plinius minor	Aiunt multum legendum esse non multa.	28	Fabellarum Grimmianarum dedicatio a.1837 a Vilelmo Grimm scripta Dominae Elisabethae de Arnim 4-6 – Fabellae Grimmianae: De vetere Sultano 8-10 – De sex oloribus 12-16 – De Rosula Spinoza 17-23 – Echus voces 25-27.
<b>077</b>	22.06.2014	Ulricus Huttenus	O saeculum, o litterae! Iuvat vivere.	32	Gustavus Schwab quis fuerit et quae scripserit 4-7 – Myths classicae antiquitatis pulcherrimi 8-10 – Praefatio editionis primae 11sq. – Myths Graecorum (XXX): Quomodo Colchi iterum persecuti sint Argonautas 14-25 – Echus voces 26-31.

## CONSPECTUS PRIMAE CENTURIAE EPISTULARUM LEONINARUM

<b>078</b>	22.07.2014	Simonides	Picturam poesin esse tacentem poesin picturam loquentem.	31	Historia bombinarum (I) 5-13 – Myths Graecorum (XXXI): Meleager quomodo aprum venatus sit ingentem 14-17 – v. Schirach: Festum populare ( <i>Volksfest</i> ) – fabula criminalis 18-27 – Echus voces 28-30.
<b>079</b>	22.08.2014	Titus	Amici, diem perdidi!	33	Adelbertus de Chamisso quis fuerit 5-11 – Petri Iacturarii mira historia: Summarium et argumentum 12sq. – Cap. I Latine redditum 14-20 – “Schlemihl” qualis homo sit 21sq. – Historia bombinarum II 24-28 – Echus voces 30sq.
<b>080</b>	06.09.2014	Ferdinandus I	Fiat iustitia et pereat mundus	39	Myths Graecorum (XXXII): De Tantalo 5sq. – Symbola Wikipediana de Tantalo scripta 7-12 – Petri Iacturarii mira historia (II) 13-17 – Historia bombinarum (III) 19-30 – Vocabula vestiaria (II) 32-38.
<b>081</b>	17.09.2014	Caligula	Oderint dum metuant	35	Myths Graecorum (XXXIII): De Pelope 4-6 – Fabellae Grimmianae : De Nidario 7-10 – v. Schirach: Felicitas ( <i>Glick</i> ) Fabula criminalis 12-24 – Vocabula vestiaria (III) 25-32 – Corrigenda et supplenda 34.
<b>082</b>	13.10.2014	Ignatius Loyola	Omnia ad maiorem Dei gloriam	30	Myths Graecorum (XXXIV): De Nioba 4-8 – Petri Iacturarii mira historia (III) 9-13 – Vocabula vestiaria (IV) 16-22 – Echus voces 24-29.
<b>083</b>	21.01.2015	Cicero	Silent leges inter arma	32	Ioachimi Gauck oratio natalicia 4-7 – Myths Graecorum (XXXV): De Salmoneo, Hercules quomodo natus sit 8-10 – Fabella Grimmiana: De rege Turdibarbo 11-15 – Praemium anni 2014 Nobelianum physices 17-21 – Echus voces 25-29 – Audi canticum natalicum voce admirabili cantatum! 30sq.
<b>084</b>	23.02.2015	Apelles	Sutor, ne supra crepidam!	27	Myths Graecorum (XXXVI): Hercules quomodo educatus sit 4-7 – Fabella Grimmiana: Niveola 8-17 – Echus voces 18-19 – Walter Berschin: Animarum silva 20 – Fabius Xystinus: Epyllion tonsorium 21.
<b>085</b>	19.08.2015	Epictetus	Sustine et abstine!	24	Sophophonologia, i.e., de usu et abuso telephoni intelligentis, quod vulgo vocatur <i>smartphone</i> , Latine autem sophophonum (I): Grylli interretiales 5-7 – Nonnulla vocabula computatralia et interretialia 8-14 – Gary Turk : Suspice de sophophono ! 15-17 – Adulescentes parum dormire 18sq. – Medicos monere de adulescentium sophophonomania 20-22 – Echus voces 23.

## CONSPECTUS PRIMAE CENTURIAE EPISTULARUM LEONINARUM

<b>086</b>	31.08.2015	Albertus de Haller	Veritatem sequimur, errores et praeiudicia profligamus.	32	Sophophonologia (II): Generatio capitis declinati – Quanta solitudo efficitur sophophono? 5-7 – De eroticonatione ( <i>sexting</i> ) 8-11 – “Perdifficile est a pornomania desuefieri” 12-17 – Quale nomen Latinum imponamus instrumento, quod anglice dicitur <i>scanner</i> ? 18sq. – Echus voces 20-31 (epistula Porculatoris).
<b>087</b>	11.09.2015	Aesopus	Ομφακές εἰσιν.	30	Sophophonologia (III): Estne <i>You now</i> paradisus paedophilorum? 5sq. – Quaeri melius verbum ad sophophonum denominandum 7-9 – Symbolum Appleanum unde derivatum sit 10-16 – En parentes filioli amantissimos! ( <i>gryllus</i> ) 17 – De usu sophophoni interrogatus quid responderim 18-28 – Babae, quam arguti sunt ! ( <i>gryllus</i> ) 29.
<b>088</b>	27.09.2015	Iosephus Iustus Scaliger	Si quem dura manet...	27	Annuntiatio Conventus Lexicographicci, qui fiet in urbe <i>Williamsburg</i> Virginensi 4sq. – Nonnulla verba novanda 6-12 – <i>Gryllus penetratorius</i> 7 – Vocabula vestiaria (V) 13-20 – Echus voces 21-25 – Erasmus: Sexagenarios de ponte deicere 26.
<b>089</b>	18.10.2015	Bernardus Clarivallensis	Praesis ut prosis, non ut imperes.	22	Petri Iacturarii mira historia (IV) 5-13 – Fabella Grimmiana: De pera petasulo corniculo 15-19 – Echus voces 20-21 – Chronogramma in diem natalem sexagesimam Leonis Latini scriptum (Hannes Demming) 20.
<b>090</b>	01.12.2015	Ernst Häckel	Impavidi progrediamur!	23	Mythi Graecorum (XXXVII): De facinoribus Herculis prioribus 5-8 – Hercules atque Eurystheus 9sq. – v. Schirach: ADN. Fabula criminalis 11-15 – Fabella Grimmianae: De Scordalo 16-19 – De Rolando carissimo 20-22.
<b>091</b>	02.01.2016	Hieronymus	Vicina sunt vitia virtutibus	23	Ecce Libri Leonis Latini 5 – Crabatus 6 - Praefatiuncula 7sq. – Sabatina James in Natale Domini quid nobis annuntiet 9sq. – Sacerdotes libero ore loquentes (I): Sacerdos quidam catholicus quid dicat de profugis recipiendis 11-14 – Echus voces 15 – Alafredus Bartoli: Nox natalicia 16-20 – Vota in annum 2016 ferenda 22.
<b>092</b>	02.02.2016	Bonifatius VIII.	Qui tacet consentire videtur, ubi loqui debuit atque potuit.	29	Sacerdotes libero ore loquentes (II): Olaus Latzel quis sit: Per Dei voluntatem 5-11 – Homilia Pastoris Olai Latzel Pastoris Bremensis in dubium vocata 12-27.

## CONSPECTUS PRIMAE CENTURIAE EPISTULARUM LEONINARUM

<b>093</b>	18.02.2016	Isaias	Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum.	35	Mythi Graecorum (XXXVIII): Tres labores Herculis priores 4-8 – Ecce butyrum et mel 10 – Sacerdotes libero ore loquentes (III): Qui impetus facti sint in Olaum Latzel pastorem animarum 11 – Homiliam Latzelianam ab ecclesia Bremensi acriter reprobari 12-14 – Christianos Bremenses Evangelicos tumultuari 15-19 – Moderator radiophoniae Olaum Latzel interrogat 21-27 – Vocabula vestiaria (VI) 29-33 – Ecce Libri Leonis Latini 34.
<b>094</b>	01.03.2016	Iustitia	Audiatur et altera pars.	30	In Memoriam Maximiliani Mangold 4-18 – Ecce Libri Leonis Latini 19 – Echus voces 20-23 – Certamen Palaeohellenicum 24-28.
<b>095</b>	06.03.2016	Caesar Rubiconem transgressurus.	Alea iacta esto !	36	Fabella Grimmiana: De ave aurea 4-14 – Ecce Libri Leonis Latini 15 – Sacerdotes libero ore loquentes (IV): Duo defensores Olai Latzel Pastoris Bremensis – 1.Dr. Martinus Korol de Pastore Latzel quid sentiat 16-19 – 2.Americani quid televisifice de Pastore Latzel nuntiaverint 20-22 – 3.Verba Olai Latzelii de hominibus *thelobonis facta 23sq. – Edmondo de Amicis: “La Piccola Vedetta Lombarda”: Latine reddidit Paulus ( <i>Pablo</i> ) Kangiser Iacobopolitanus 26-31 – Echus voces 32-34.
<b>096</b>	16.03.2016	Romam a Visigothis vastari (Joseph-Noël Sylvestre)	Vastius insurgens decimae ruit impetus undae Ovidius met.XI 528-532	18	Prof.em. Alexander Demandt: De interitu Imperii Romani. Finis ordinis vetusti 4-9 – Paulus Collier oeconomus et investigator migrationis Oxoniensis interrogatus: Estne Angela Merkel in culpa ipsius crisis profugorum? Scilicet ! Quis est nisi ista?” 10-15 – Echus voces 16sq.
<b>097</b>	21.03.2016	Cicero, orator 34,120	Nescire autem quid antequam natus es acciderit, id est semper esse puerum.	27	Robertus Harris auctor Britannus trilogiae Ciceroniana interrogatus 6-14 – Ecce Libri Leonis Latini 15 – Trilogia Ciceroniana: versio (I) 16-20 – Echus voces 22-25.
<b>098</b>	28.03.2016	Aurora	Aurora lucis rutilat (Hymnus Ambrosianus)	22	De rebus Paschalibus (I): Paschalis Hymnus Ambrosianus 4-6 – De ovis paschalibus 8-15 – Arborem ovorum paschalium Thuringensem hoc anno ultimo esse exornatam 16-18 – Echus voces 19-21.
<b>099</b>	02.04.2016	Ver (Giuseppe Arcimboldo)	Ecce gratum et optatum/ ver reducit (Carmina Burana)	27	De rebus Paschalibus (II): De Lepore Paschali:
<b>100</b>	09.04.2016	<b>CENTURIO</b>	Quid, quod inserta castris summam rerum imperiumque continet centurionum in manu vitis...? (PLIN.nat.14,19)		De centurione – De numero centenario – Conspectus primae centuriae Epistularum Leoninarum – Echus voces.

## ECHUS VOCES

### **RADULFUS LAVALLE ARGENTINUS BONAEROPOLITANUS**

D.03. m.Apr. a.2016 h.14:58 Raul Lavalle scripsit haec:

Nicolae doctissime,

Gratias quam plurimas ob omnes epistulas; praesertim ob hanc ultimam, in qua de vere, de Carminibus Buranis et de ovis Paschalibus me doces. Pascha bonum tibi dat

Radulfus

**Care Radulfe,**

valde gaudeo, quod scribis tibi placere symbolas meas; epistolia mihi sunt incitamenta scribendi laetabilia. Vale semper, medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

### **PAULUS KANGISER CHILIANUS IACOBOPOLITANUS**

Fri, 1 Apr 2016 15:18:01 -0300

Paulus Kangiser Nicolao Gross s.d.

Legi in Epistula Leonina 98 de ovis paschalibus; haec consuetudo in Chiliam nuper pervenit (ab hinc fere annis viginti), quam putabam minime esse christianam. Ex scripto tuo comperio iam esse saltem in Europa veterem.

Praeterea, dum tuam symbolam lego, patris mei memini qui anno 1913 natus erat in Chișinău, (nunc Moldavia). Narrabat se puero ova variis coloribus depicta et decocta, Festo Paschali, in fidelium manibus teneri; dein in salutationis modo ovum, quod manu quisque tenebat, cum alterius ovo collidebatur et invicem dicebant: “Christus Resurrexit”. Sic uterque, putamine fracto ac deiecto, ovum suum comedebat.

Vale.

### **FRANCISCA DERAEDT BELGA BRUXELLENESIS**

Tue, 29 Mar 2016 09:22:32 +0200

Francisca Nicolao s.p.d.

Tibi respondeo pro Gaio, qui post arthroplastiam genus iacet in nosocomio, ubi adhuc duas septimanas manebit propter 'reeducationem', quam vocant. Ei modo legi epistulam tuam, pro qua gratias tibi agit maximas, atque imprimis pro verbis benignis; peractis istis ictibus tromocraticis multae quaestiones oriuntur, quae pertinent ad Europae politicam necnon ad causas et consequentias horum eventorum; ne quid dicamus de humanitate eiusque futuro.

Libenter legimus ea, quae de professore Mangold narravisti; recordor hominem eximiae et vere extraordinariae scientiae, semper affabilem sed satis 'machinalem', si ita loqui licet.

Udalricus ille Krauße ad nos nuper scripsit, sicut ad te, se rationem libros vendendi invenisse praematuris mandatis; hoc re vera bene convenit libris Latinis, qui (eheu) non solent multos emptores allicere. Etiam indicavit sedem interretiale, in qua utile paeconium fieri potest. Haec sedes, nobis non nota, est Germanica: eo melius, quia eius libri, tales quales conscripti sunt, praecipue pertinent ad Germanos discipulos. Si paratus es nonnullas eius paginas emendare et in Epistula Leonina divulgare, hoc etiam erit bonum paeconium. Ei etiam diximus nos libenter iuvatueros esse in emendando, si vellet. Cura ut valeas.

Wed, 23 Mar 2016 12:31:52 +0100

Udalricus domino Groß et domino Licoppe s. p. d.

Cari domini,

rem librorum Latinorum vero in bonum vertere puto, nam amicus quidem promisit se sumptus officinae typographicae soluturum esse, sed tantum sumptus mandatorum praematurorum. Hic videtis consilium novum et condiciones amici:

- Correctores libros inspiciunt, ut textus optimos sint et libri vero bene succedant.
  - Tum per commendationem in interrete ( via [www.MundusLatinus.de](http://www.MundusLatinus.de) ) et per epistulas electronicas diem divulgationis denuntiabimus et emptores adhortabimus libros praemature mandare. Qua re ,dominus Groß, auxilium iam obtulit (Epistulis Leoninis).
  - Mandata praematura colligemus et denique officinam typographicam in tempore, e. g. ad diem 1.7.2016, sine periculo mandabimus. Die destinato missio librorum incipiet.
- Quid censem et quomodo labore correctionis fortasse dividere et peragere possumus, nam tantum parvum pretium post coeptum venditionis solvere possem?
- Iam nunc vobis gratiam ago propter vestrum favorem. Medullitus salutat Udalricus Krausse.

### **PROF.EM. ANDREAS FRITSCH PHILOLOGUS ET DIDACTOLOGUS**

d.Lunae, 4. m.Apr. a.2016 h.14:42:00 +0200

Andreas Fritsch Nicolao Groß sal. plur.

Iterum atque iterum tibi, Nicolae, gratias ago, quod mihi mense praeterito complures epistulas Leoninas (95-99) misisti, quae tot et tam pulchras res continebant.

His diebus in urbe Berolino conventus tricesimus tertius Societatis Philologorum Palaeophilologorum (DAV) habitus est, cui mille et ducenti homines aderant. In eo conventu etiam ego una cum Roberto Maier “Officinam Latinam” peregi, in qua ipse imaginibus lucis ope in tabulam albam projectis nixus (quae methodus vocabulo Anglo powerpoint dicitur) de “Condicionibus Latinitatis vivae hodiernis” locutus sum, Robertus autem Maier de investigatione et explicatione manu scriptorum mediaevalium dixit.

In parte priore complures actiones, circulos Latinos, seminaria commemoravi atque etiam aliquid de epistulis Leoninis atque libris a te in lingua Latinam conversis rettuli (videas appendices huic epistulae adjunctas).

Huic “officinae” aderant etiam Valahdridus Stroh et Michael von Albrecht et multi alii, omnino fere quinquaginta homines. In ultimo fasciculo “Fori Classici” etiam “Parvum Nicolaum” a te Latine conversum paucis verbis exposui (p. 54).

Sed nunc, per viginti quinque annos centum fasciculis confectis, munus editoris illius periodici deposui. In conventu praesides coram omnibus, qui sessioni sollemni (a qua conventus coepitus est) aderant, mihi laudes et gratias egerunt. Sed satis de his rebus.

Oro, ut mihi favere pergas, tibique optima quaeque exopto.

Andreas

PS: Crabatum tuum, quem humanissime misisti, iam ante conventum accepi, sed propter egestatem temporis non antea rescripsi. Ignoscas quaeso. Magnas tibi gratias ago.

### **Nicolaus Andreeae sal.pl.dic.**

Litteris tuis me magno gaudio affecisti, fortissime propugnator Latinitatis Viva. Gratias plurimas tibi ago, quod in acroasi tua Latina Berolinensi benigne commemorasti Leonem Latinum eiusque opuscula necnon illustrasti imaginibus - ut ais - lucis ope in tabulam projectis nixus. Etiam quod Parvum Nicolaum in Foro Classico luculenter laudasti, laetus tibi ago gratias.

Scilicet doleam te munus editoris illius periodici deposuisse. Ex altera autem parte pro certo habeo te nunc vacare multis operibus Latinissimis iam pridem inceptis, per longum tempus dilatis, nunc tandem perficiendis. Ergo nunc licet fruaris novo otio ad fructus metendos. Ut sementem feceris, ita metes.

Ceterum hac septimana exeunte edam Epistulam Leoninam centesimam. Leo Latinus fiet centurio, qui conscripsit centuriam epistularum. Habemus hecatomben! Huius hecatombes causa confeci Conspectum Primae Centuriae Epistularum Leoninarum necnon Indicem Rerum (brevem). Haec feci monitum tui recordatus, qui iam compluries commendasti, ut scriberem talem indicem. Utinam tibi placeat.

Haec raptim, mox fortasse plura. Care Andrea, opto, ut quam optime valeas Orbemque Latinum pergas operibus Tuis ditificare!

Medullitus te salutat

Nicolaus Groß  
LEO LATINUS

### **WERNER HÜMMERICH HISTORICUS MEDIORHENANUS**

Die Iovis, 7. m.Apr. a.2016 h.17:51:48

*Sie würden mir einen großen Gefallen tun, wenn Sie mich in den erlauchten Kreis Ihrer Leser aufnehmen würden und mir die Epistel regelmäßig zukommen lassen könnten. Ich finde es toll, was Sie da alles zusammentragen. Das fiel mir schon bei den Anmerkungen zu Krabat auf, als alter Historiker weiß ich, wieviel Arbeit und Recherche dahinter steckt. Und es macht Spaß das zu lesen. Es grüßt Sie recht herzlich vom Mittelrhein, gegenüber vom alten Baudobriga, Werner Hümmrich. - i.e. Latinê: Gratissimum mihi feceris, si me in nobilem circulum lectorum tui cooptaveris Epistulamque (sc. Leoninam) mihi semper afferendam curaveris. Perquam mirabile mihi videtur, quot et quanta ibi colligas. Hoc iam animadvertis adnotaciones perlegens ad Crabatum factas – ut sum historicus peritus, scio, quanto labore quantâque disquisitione haec inveneris. Necnon hac lectione delector. Te perquam medullitus salutat ex locis mediorhenanis, adversus Baudobrigam (i.e. Boppard) sitis, Varnerius Hümmrich.*

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**Die Saturni, d.9. m.Apr. a.2016**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**



**<http://www.leolatinus.de/>**